

[199r]

**Richardus
per Matrem viventium a morte aeterna vindicatus,**

hodie pro theatro propositus
ab Illustrissima, Perillustri, Praenobili ac Ingenua rudimentorum schola
in academico gymnasio S. J. Pragae ad S. Ignatium 1735

ARGUMENTUM

Richardum, adolescentem Flandrum, omnem vitae pessimae licentiam ex congerronis (nobis Liberti) consilio secutum, Orcus apud Judicem Supremum, uti et Libertum, scelerum poenaeque aeternae reum fieri voluit. Contra quos dum Judicem ad sententiam commeritam ferendam flectere adlaborabat Orcamus, illud evicit, quod Liberto poenis aeternis aequissime adjudicato, Richardus ob pensum, quod indies Matri Gratiarum solvere in more habebat, eadem die semisopita esto lingua persolutum, interventu Virginis Almae et Advocatae factae, a Judice immunis sit enunciatus. P. Joannes Nadasi SJ in Anno aeternitatis, hebdomade 32.

PROLUSIO

Orco Nemesim contra Juventutem, legum praevaricatricem, flectere adlaborante, Misericordia eundem refellit et rejici facit.

Recitativus

Orcus :	Adhucne, Nemesis, scelestam Juventam, Caelo molestam Feres inultam, Averno adultam?
5	Ob tanta crimina Non vibras fulmina? Repande Ditis ora, Queis ^a objice abs mora Cremandam igne fero,
10	Deflectentem a vero.

^a *Queis*, arch. tvar dat. pl., klas. *quibus*. Podobně viz v. 585, 693.

Aria

Ardescat sol in fulmina,
 Plectat Juventae crimina,
 Legum praevaricatricis,
 Vitae scelestae ductricis.
 15 Nemesim sufflammet,
 Ad plectendum animet.

Recitativus

Vah! Nimiam abjice clementiam,
 Aeternam in merentem vibra sententiam!

Recitativus

20 Nemesis: Feriam, plectam,
 Justam vindictam
 Reposcunt horum crimina,
 Merentur justa fulmina.
 Feriam, plectam
 Sumam vindictam.

Aria

25 Sufflammet ensem fulmina,
 Quibus Juventae crimina
 Plectam, terjusta Nemesi,
 Morteque mulctet Lachesis.

[199v]

Recitativus

30 Juventus: Ah, Misericordia,
 Ne nimium discordia
 Patiare Justitiae contra Juventam praelia.
 Jam sol ipse in iras, in iras candescit,
 In me jacturus fulmina flammescit.
 Ah! Phaebe, mitesce
 35 Nec ira ardesce!
 Eclypset tuum utinam luna ardorem,
 Ne tantum in me exeras furorem.
 Ah, Misericordia, opitulare pereunti!

40 Misericordia: Adsum vocata et exorata,
 Firmum datura praesidium
 et contra Orcum subsidium.

Arietta

45 Sit locus hic clementiae,
 Cedat rigor sententiae,
 Claudantur ora Cerberi,
 Non jam Juventa verberi
 Subjecta sit aeterno
 Nec sit rea Averno.

Recitativus

Cede, Averni Furia,
 Juventae huic injuria.

INDUCTIO I.

Dum Richardus Theorgi institutoris monita salutaria rejicit seque a domo ac disciplina subtrahit, Orcamus de nova sibi praeda obventura plaudit.

Personae: Richardus, Evaristus, Theorgus, Servillus, discipuli, Orcamus, omnes diabolii et spectra.

50 Richardus: Quam dulce risit aureum solis jubar
 Et vexit aethra lusibus gratam diem.
 Evariste, nunquid afforis lusum est satis?
 Evaristus: Lusum est abunde, ast metuo non leviter.
 Richardus: Metus
 Quis membra subiit? Pande, quis animo timor?
 55 Evaristus: Quid si Theorgus noster absentem sciat
 Suum Richardum? Pessime excipiet sua
 Sero petentem limina! Accelera gradum,
 Protracta ne fors augeat poenas mora.
 Richardus: Causa haec timorem comparem menti meae
 60 Generat, sed ausus revoco, quos timor expulit.
 Eructet esto plurimas in me minas
 Theorgus, isti facile rescindam stylum
 In me furendi, promptus excutiam jugum
 Docentis atque callido effugiam pede.
 65 Evaristus: Tentemus ergo et laneum posti pedem
 Proprius locemus, num amplius solito furat.

Inductio I. ac] ad R.

- Theorgus: Malecauta pubes! Semperne in furias agas?
 Evaristus: An fulminantem percipis?
 Richardus. Valde bene.
- [200r] Theorgus. Richardus ubi?
 Evaristus: Jam pessime, frater, tibi.
- 70 Theorgus: Serville, curre, pervola vicum citus
 Omnem ac Richardum siste nostrati Lari!
 Ah, pertimesco, pessimo ne fors meus
 Adsit Richardus caetui aut consortio.
 Ad omne siquidem cereus vitium est puer.
- 75 Docebo juvenem, calle quo demum pedem
 Cautus locare debeat.
- Richardus: Non, non, nihil
 Fiet! Richardus profugus eludet suum
 Propere Theorgum. Evariste, tu repete domum.
 Ego furentem praevia eludam fuga.
- 80 Servillus: Richardus est hic, capite fugientem.
 Theorgus: Cito
 Reliqui volate, profugus actutum meo
 Sistatur isthic vultui infaustus puer.
 Ades? Doloris causa permulti, jam ades?
- 85 Richardus: Nescio, doloris causa qui tanti forem,
 Ast qui coegit fugere me, tuus est furor!
 Theorgus: Imo Richardo maximus sit hic amor,
 Dum poena vitio debita a Theorgo datur.
 Efferre posthac unicum Laribus pedem
 Caveto! Pensa Virgini Matri interim
- 90 Decurre, semper reitera, nunquam pium
 Usus remitte, nec meus tali favor
 Deerit clienti. Dulcibus semper cibus
 Temet, Richarde, nutriam, tantum domo,
 Dilecte, nostra subdolum ne effer gradum.
- 95 Richardus: Vellet Theorgus dulcibus pastum cibus,
 Vellet Richardum, ut sit suus semper puer.
 Gustasse me jam plura, quam dulcia, sciat.
 Veterana vulpes! Noveram apprime dolos
 Suos. Favere saccharum svevit, quoad
- 100 Fortius amaras exerat in omnes minas.
 Hac servitute, spero, libertas erit
 Dulcior. Acerba Theorgus imperia uspiam

- Mihi dehinc dictabit. Impensum optimae
Cultum expetabat Matris, hanc constans colam.
105 Mandata reliqua respuo et fugio.
- Orcamus: Bene est!
[200v] Vicimus, Averne! Plaudat umbrarum cohors!
Richardus isthac pergit infelix via,
Qua mille praeceps inferos juvenes petunt.
Richardus ista graditur incautus via!
110 Richardus! Ille Virginis Matris alias
Camillus? Ipsus! O diem obscura mihi
In nocte faustam! Manium umbrosos sinus
Novus serena Phaebus illustret face
Blandumque frontis exerat Avernus jubar!
115 Adeste, Furiae Tartari, inferia cohors,
Miscete poenas gaudiis, planctus jocis.
Ite in choreas, turba confusa Stygis,
Musica choreas dirrigat, cujus melos
Seu consonum, seu dissonum plausus sonet.
120 Nam spero, qua se tollit, hac ruet via
Richardus. Imo juro! Non longa mora
Aderit, perenni incendio urendus puer.
Hunc ipse ibo perditum.
- Om. daem.:^b Sic, sic decet,
Richardus astris charus ut pereat miser.
- 125 Orcamus: Reprimite saltum. Quis chorearum modos
Numerosque turbat? Aliqua se immiscent choris
Nostris vagantium agmina. Aspicio foras!
- Diabolus: Adest Libertus, juvenis a vita agnitus
Effraeniori.
- Orcamus: Cedite. Hic noster prope
130 Futurus hospes est, proin nolim meum
Quisquam Libertum turbet.^c

INDUCTIO II.

Libertus, congerronum corryphaeus, genio suo amplius indulgens, eisdem vitae depravatae pessima suggerit principia illudque „quod libet, licet“ in regulam transcribit.

Personae: Libertus, congerrones.

Libertus: Sonuere amoena cymbala et dulces cheles,
Fas est proinde floridos saltu dies

^b Om. daem = Omnes daemones.

^c Neúplný verš.

- Noctesque chari transigi socii. Cito,
 135 Properum referte ad gaudia acciti gradum!
 Nihil movetur? Bibule! Dormille! Hircule!
 [201r] Slampule! Vomille! Porcule! Auditur nihil.
 Forsan recenti crapula functi jacent
 Nostri sodales? Excitatum hos provolo.
 140 Quam grata resonat musica, opinor, bene
 Isthac inunxit guttura impingvans Ceres.
 Proh fata! Strages crapulae quantas cient!
 Surgite, choreas ducere ac urbe integra
 Denuo vagari consonae invitant cheles!
 145 Ut video, surdis fabulam canto. Scio,
 Quid agam! Petulcum faxo^d nequitiae genus.
 Profecto Morpheum perbrevis excutient, modo
 Concitabo tympano integram domum,
 Ardere ut isthac Morpheo absorpti putent.
 150 Ah ardet! Ardet! Ardet! Ardet!
- Bibulus: Proh, ubi?
 Libertus: Jam tecta supra vestra Vulcanus furit.
 Bibulus: Liberte, miseros adjuva!
 Libertus: Id facio lubens,
 Modo excitatos rideam! Nunquid bonum
 Vos excitandi fingere Libertus modum
 155 Svevit?
- Dormillus: Nugator denique es!
 Libertus: Non jam placet
 Favere genio ac ducere in choreas pedes?
 Om. conger.:^e Accepta nobis recoquis, haec semper placent.
 Hirculus: Ergo vagemur integris vicis prius,
 Demum choreis caeterum tempus demus.
 160 Bibulus: Ast quam tabernam saltui accommodam putas?
 Vomillus: Aurata quae nunc vascula appicta exhibet
 Domus, choreis commoda est.
 Libertus: Ergo cito!
 Larvatus adsit musicae resonans chorus,
 Nos laeta cantu jubila addemus.^f

^d *Faxo*, arch. tvar 1. sg. fut. II., klas. *fecero*.

^e *Om. conger.* = *Omnes congerrones*.

^f Neúplný verš.

Cantus congerronum vagantium^g

#Vivamus, bibamus, saliamus, ha ha ha!

Vivamus, bibamus, saliamus, ha ha!

Id licet, quod libet, qui vult, multum bibet. *Da capo a signo #*

165 Bibulus: Pincerna ubi latet? Adsumus, cito, cito!
 Vanillus: Adferite subito Massica, hic adsit Ceres.
 [201v] Libertus: Ego salire ordiar, ludat chorus.

Saltus

Bibulus: Vivat Libertus, saltibus doctus!
 Omnes: Vivat!
 170 Libertus: Sincera vivat plurimum fratrum cohors!
 Nunquid beati vivimus, quando licet,
 Quod libet. Amoenos ducere optatis dies?
 Id liceat, animo quod libet. Bibere libet?
 Licet, bibite!
 Vomillus: Quid si ebriis vomere libet?
 175 Libertus: Licet, vomite!^h
 Fecit id Antonius multis spectantibus olim,
 Is tamen Ausonia consul in urbe fuit.
 Quod facinus tanta vir tantus in urbe patravit,
 Non tibi in his poterit dedecus esse locis.ⁱ
 180 Denique profundo haec regula insculpta haereat
 Cordi, sodales! Nempe quod libet, licet.
 Bibulus: Ceres meum gravare verticem orditur.
 Porculus: Demus
 Proinde somno quidpiam.
 Hirculus: Sit ita.
 Slampulus: Bene.
 Libertus: Sacremus aliquid Morptheo.^j

INDUCTIO III.

Richardum de reditu ad Theorgum deliberantem Orcamus in suas partes pertrahere adlaborat.

Personae: Richardus, Orcamus cum omnibus daemonibus.

Richardus: Quid agimus, anime? Ubi es, Richarde? An inferis

168 doctus] doctus pedes R.

^g Tuto část považujeme za píseň vloženou do hry, proto ji nečíslyjeme. Stejně viz *Cantulus quaerentium Richardum*, s. 90.

^h Neúplný verš.

ⁱ v. 175–178 elegické distichon.

^j Neúplný verš.

- 185 Terrisve oberras? Sydera an misero favent,
Cui tetra Averni monstra perniciem parant?
Si somnianti Morpheus vera indicit,
Periit Richardus, Tartari exilium petet.
Dictavit Orcus somnio infensam nimis
- 190 Sententiam, Richardus ut pereat miser,
Postquam hacce liber graditur incautus via,
Qua mille praeceps inferos juvenes petunt.
Forsan rejectum, proh, male Theorgi jugum
Orco Richardum inducere incautum parat!
- 195 Quid derelictus facio? Si caeptum sequar
Iter, furorem Caelitum incurram, scio.
- [202r] Quodsi Theorgi repeto, quos sprevi, Lares?
Ridebit isthoc facinus omnis! Nec minus
Theorgus acrem pro fuga poenam expetet.
Deliberare sylvula hac de re placet!
- 200
- Orcamus: Richardus, heu, male ludit! Huc, turba infera
Cito ferali prodeat Averni specu!
Vinci dolose debet hic nequam puer!
Hunc ipso ibo perditum. Adferte citius
- 205 Aquam, lebetem, smigma et apprime meam
Purgate faciem. Vestium tibi cura sit.
- Diabolus 1: Qualis videri vestium debet color?
Orcamus: Auceps ferarum vestium qualem gerit,
Talis Richardi in aucupe eniteat color.
- 210 Diabolus 1: Hunc praesto cape!
Orcamus: Vos interim, quasquas huic
Instruere technas sedulum ingenium valet,
Parate! Ego meum struere progredior dolum.
- Richardus: Quid hoc moraris nemore? Cur tempus teris?
Deliberandi tempus hoc sumpsi loco.
- 215 Orcamus: Deliberare qualia negotia jubent?
Richardus: Fatebor istud, Domine, quod mentem premit.
Svadebat animo vita liberior fugam,
Unde et Theorgi profugus elusi jugum.
- Orcamus: Tune es Richardus?
Richardus: Nomen hoc unde est tibi?
- 220 Sum, sum Richardus, pristino intendens jugo
Memet Theorgi subdere.

186 monstra] mostra *R.*

205 smigma] Schmigma *R.*

220 intendens] intendes *R.*

- Orcamus: In poenas redis,
 Quodsi Theorgi repetis iterato Lares.
 Ardescit ira, fervet et jurat truci
 Se velle puerum carceri includere. Proin
 225 Liberius ista, qua capis, perge orbita,
 Assume generosam indolem et vitam mei
 Sequere Liberti.
- Richardus: Non facio! Siquidem diu
 Deliberandum est, quod par est statui semel.
- Orcamus: Male cessit astus, alia tentanda aestimo.

[202v]

INDUCTIO IV.

Theorgus in Richardi solito longiorem a domo absentiam inquirens, Evaristi Richardi amioris corrivalis curam pro eodem reducendo requirit.

Personae: Theorgus, discipuli, Servillus, Evaristus.

- 230 Servillus: Jam, puto, scholares vocat ad odaeum hic sonus
 Ac me Theorgi jussa servillum petunt.
- Theorgus: Serville, curre promptus! Accitos meo
 Sistito scholares vultui, ac primo voca
 235 Nostrum Richardum. Denuo ubi moras trahit?
 Nequam juvenis est, jam diu absentem noto.
 Meos citato provola ad nutus gradu,
 Dudum Richardum Laribus absentem voca.
- Servillus: Ausculto jussis.
- Theorgus: Audiam brevi lubens,
 240 Fervore quali obtemperet jussis meis,
 Num pensa Matri Gratiae exsolvit.
- Servillus: Fleo.
- Theorgus: Cur fles?
- Servillus: Richardus denuo excessit fuga,
 Quem forte nostro quaerere incumbet pedi.
- Theorgus: Quidquid? Richardus denuo erupit meus?
 Richardus? Infans, falleris! Solus volo,
 245 Quodsi cubili clausus aspiciam latet.
 Invisa fata, excessit, erupit^k puer!
 Serville, vera dixeras!
- Servillus: Nunquid?

^k Cf. Cicero, *Oratio in Catilinam* 2,1: *Abiit, excessit, evasit, erupit.*

- Theorgus: Cito,
Richardi amicum, pupulle, Evaristum voca!
Fors hic latentem noverit.
- Servillus: Jussa exequor.
- 250 Theorgus: Infaustus ego, quem fata tam invisa opprimunt!
Dilecte multum Evariste! Quod posco, exhibe.
- Evaristus: Jube, lubenter facio.
- Theorgus: Richardus fuga
Evasit iterum, profugus excessit puer.
Amiciorem cum illius temet sciam,
- 255 Disquire posco perditum, ac nostri pedes
Quod agere nequeunt, tu pio exequere gradu.
- Evaristus: Ibo cito, alas pedibus aptabo, modo
Maesto reducam transfugam Theorgo. Meis
Socientur aliqui gressibus.
- [203r] Theorgus: Comites habe
- 260 Fidosque servulos viae, quotquot vides.
- Evaristus: Omnes viarum devia ac avia petant,
Ut ita Richardum liceat errantem suo
Reddere Theorgo nec minus amicum mihi.

Cantulus quaerentium Richardum

Richardi consciae, sit licet fari insciae,
Monstrate profugum sylvae Richardulum.
Ah, redeat in propria aberrans inter devia,
Ah, date nobis obvia hujus vestigia.

Sequitur echo.

- Evaristus: Richarde!
- [Echo]:¹ Tarde.
- [Evaristus]: Vocis, heu, qualis sonus?
- 265 [Echo]: Onus.
- [Evaristus]: Onus est inane, quod quaeram meum
Isthac Richardum semita?
- [Echo]: Ita.
- [Evaristus]: Ah, dicite,
Benigna nemorum tesqua, terere debeam
Abdita viarum qualia?
- [Echo]: Alia.

¹ V rukopise v této části chybí jména postav, repliky Ozvěny jsou označené podtržením.

- [Evaristus]: Quis igitur
 270 Profugum Richardum noverat? Dicat, via
 Quali superiit.
 [Echo]: Periiit.
 [Evaristus]: Heu, periit miser?
 Non vivit?
 [Echo]: Vivit.
 [Evaristus]: Quomodo periit, ubi
 Vivere fateris perditum? Repeto.
 [Echo]: Peto.
 [Evaristus]: Richarde, spiras?
 [Echo]: Iras.
 [Evaristus]: Vivere an desiveras?
 [Echo]: Erras.^m
 275 [Evaristus]: Si spirat atque vivit, haud periit. Ast scio,
 Quid hic supernus doceat Evaristum sonus!
 Ille periisse caeperat, quisquis malam
 Duxisse vitam caepit. Accelero gradum.
 Hunc inveniri posse properando puto.

INDUCTIO V.

Orcami cum Liberto de Richardo ad vitae licentiam pertrahendo operae.

Personae: Orcamus et Libertus.

- 280 Orcamus: Non cessit astus, tento Liberti fores,
 Hunc concitabo in juvenis affectum. Scio,
 Persaepe juvenis juvenem in infernum trahit
 Exesi et ubi fors respuit amores senis,
 Formosi at ultro capitur aspectu puer
 285 Pueri! Libertus libera est forma, simul
 Hic novit astu perdere incautam indolem,
 Proterva siquidem mens huic in omne est malum.
- Libertus: Salve, Liberte! Placetne venalis lepus?
 Venalis exstat?
 Orcamus: Exstat.
 Libertus: An plures nemus
 Capit?

^m Hypermetrický verš. Slova *iras* a *erras* jsou v rukopise podtržena dvojité, což může značit, že ve hře nakon-
 nec nezazněla nebo splývala s předchozími slovy tak, že nenarušovala rytmus verše. Jejich vypuštěním
 získáme metricky korektní verš *Richarde spiras? Vivere an desiveras?*

- 290 Orcamus: Capit, quin imo pergrati mea
Etiam lepores sylvula ad gustum tuum
Latent.
- Libertus: Quid istud?
- Orcamus: Gracilis ac nitidus puer
Isthac oberrat sylvula, in bivio haesitans,
An nempe sese subdere Theorgi jugo
Praestet, quod ille nupera excussit fuga,
295 An vero caepta progredi expediat via,
Deliberat.
- Libertus: Pergrata mihi perfers nova.
Ast qua putares arte sat cautum queam
Circumvenire juvenem?
- Orcamus: Id exhibeo lubens.
300 Prius require nomen. Hoc ubi habueris,
Mentire, quantum carcerem profugo apparet
Theorgus, ubi fors referet in propria pedem.
Jamque evagari sylvula Evaristum sciat,
Qui comite multo cinctus explorat nemus,
Quoad Richardum liceat errantem suo
305 Reddere Theorgo et pristino extradere jugo.
Par sit proinde, tuta Richardus petat
Tua dein, Liberte, providus consortia.

INDUCTIO VI.

Richardus, adhuc dubius de reditu suo atque extra urbem errans, vicinam Magnae Matri Gratiarum aediculam devotam subintrat, ibidemque devotioni vacat, super quo frendet Orcamus.

Personae: Richardus, Orcamus cum uno daemone.

- 310 Richardus: Adhucne vage oberras, anime? Necdum tuam
Mentem quietat Aether? Ah, nescit pium
Juvare mentes impias Caelum! Fuga
Lusi Theorgum, ast ludere haud possum Polum.
Est est nefandae conscium Caelum fugae!
Quid agam? Relictus semitae in bivio vagor!
Redeo? Theorgi pristinum incurram jugum.
315 Sique sequor isthanc liberam, instratam rosis
Viam? Haec supernas non petit semita plagas.
Utraque parte cruciat et timor et dolor.
At cordis intus interim ut sidat dolor,
Modicam quieti temporis moram dabo.

- [204r] Sed quae sacrata Numini in nostrum venit
 Oculum aedicula? Subintro, si forsane meae
 Matri Mariae condita haec aedes foret.
 Benigna fata! Teneo, quod cupidus peto!
 Maria, salve! Nempe sic moestos solet
 325 Mater beare servulos vultu suo.
 Succurre prompta perdito, in bivio juva
 Deliberantem nec sine mortis mora
 Perire, Mater Gratiae, ingratum satum.
- Orcamus: Orcame! Rumpere!ⁿ Perdere! Infelix nimis
 330 Orcame! Scindat vultur afflictum jecur,
 Disrumpat Hecate subito maledictum caput,
 Annihilet Aethra penitus Orcamum, male
 Quem nuper extra septa projecit sua.
 Iniqua caeli sydera, infelix dies!
 335 Aspirat auram maledicam et trepidum injicit
 Animo timorem! Studia quo vertam mea?
 Ah, industria omnis perdit est.
- Daemon: Quis dolor,
 Supreme noctis Praeses, umbrarum Arbiter
 Et Imperator Tartari?
- Orcamus: Infelix nimis
 340 Honor iste nobis! Regium nomen gero,
 Sed male beatae patriae ejectus die
 Inter catenas noctis aeternae gemo.
 Viventium Monarcha? Sed tetro abditus
 Mortis sepulchro! Et insuper res haec meum
 345 Auget dolorem, lancinat jecoris fibras,
 Quod nullus antra Taenari dudum petat.
 Jam me Richardus, quem ungvibus nostris fere
 Raptare ad antra Tartari libuit, modo
 Matris Mariae providam lacrymans opem
 350 Poscit et iniquo Virginis per opem dolo
 Vitare nostrum intendit, astutus puer,
 Astum. Mariam noveram! Invisum, ah, nimis
 Nomen id Averno est, maxime infensum Stygi.
 Despero! Matrem Virginem quisquis colit,
 355 Perire nescit.

Sequitur chorus.

344 meum] meam *del. R.*

ⁿ Zkrácená forma 2. os. ind. prés. pas. Stejně i následující *perdere*.

[204v]

CHORUS

Pietati a Morpheo Libitinae falci expositae Amor Parthenius corolla precatoria succurrit periculoque eandem eximit.

Recitativus

Morpheus: Silentium! Pietas suis hic vacet somnis.
 Morpheu!^o Huc tuam sementem
 Sparge in langvescentem,
 Virga gemellos
 360 Mulce ocellos
 Et somni Numina
 Condite lumina.
 Jam svave tacet!
 Sopita alte jacet!

Arietta

365 Huc cito, Libitina,
 Falx sit huic ruina,
 Feri caput sceleratum,
 Somno secure stratum.

Recitativus

Am. Parth.:^p Heu, quid video!
 370 Per somni svavitatem
 Subjectam falci Pietatem.
 Ah, benigna Numina,
 Reflectite pia lumina
 Et Pietatem in hoc furorum mari
 375 Ne sinite naufragari!

Arietta

Haec, haec tibi muninima
 Mittunt benigna Numina,
 Quibus fota quiesce
 Nec Stygem pertimesce.

INDUCTIO VII.

Libertus hortatu Orcami pro devincendo sibi Richardo Gulonis exigit irritamenta.

Personae: Orcamus, Libertus, Bibulus, Gulo caeterique congerrones.

380 Orcamus: Securiore instruo Richardo dolos,
 Suspecta ne fors quaequam astuto nimis

^o *Morpheu*, řecký tvar vok. sg.

^p *Am. Parth.* = *Amor Parthenius*.

- Juveni putentur! Provolo, Liberti fores
Peto. Liberte!
- Bibulus: Quis meum ducem excitat?
385 Sepultus alto Morpheo ronchos trahit
 Hesternaque omnes crapula in somnis tenet.
- Orcamus: Quid tum? Sepultus Morpheo jaceat, moram
 Non patitur isthoc negotium. Hunc cito excita!
- Bibulus: Facio, quod optas. Surgito, Liberte, et viro,
 Ni erro, ferarum te aucupi siste.
- Libertus: Optime
390 Mones. Ave! Actu capere Richardum puto.
- Orcamus: Male meditaris, ludet hunc astum puer.
 Blande ac dolose decipi vulpes solent,
 Non insequente hominum nimis lento gradu.
395 Id facito: turba sylvulam cum armis petat,
 Inibi ferarum finge venatum, ac ubi
 Tuum Richardus incidet vultum, hunc leni
[205r] Salute capta moxque symposio hospitem,
 Quod apparandum est, promptus invita. Auguror,
 Facile famentem nimis hic astus vinciet,
400 Unde et Gulonis opera poscenda! Affatim
 Ut mensa pingves praeferat, jube, cibos.
 Siquidem quod astus noster haud vicit, gula
 Superabit.
- Libertus: Ita sit. Hircule, Gulonem voca.
405 Tuas, coquinae mysta praepingvis, Gulo,
 Partes requiro. Dapsiles scite instrue
 Epulas, minerval debitum munus feret.
- Gulo: Opplere vestros stomachos lubet ac placet.
 Quod ars Gulonis noverat, id apte instruet.
- Libertus: Vos nemora celeres petite, ego hoc nitar viro.

INDUCTIO VIII.

Evaristus Richardo reditum svadet atque ad hunc quantocyus hortatur. Differre ast hunc facit Libertus pessimisque principii eundem imbuens, ad partes suas pertrahit.

Personae: Richardus, Libertus, omnes congerrones, Evaristus, discipuli Theorgi.

- 410 Richardus: Heu me, minaces audio quales sonos!
 Richardus istis vocibus petitur.
- Dormillus: Jacet
 Lepus!

- Richardus: Timidior imo Richardus fugit
Lepore!
- Libertus: Virentis, vivito, flore, vige
- 415 Richardus: Aetatis amor! His quomodo resides locis?
Non residet istis abditus nemorum plagis,
Qui semper errat profugus et fugae reus.
Residere nescit, qui locum stabilem fugit.
- Libertus: Quod nomen est tibi?
- Richardus: Lubens pando, mihi
Nomen Richardi est.
- 420 Libertus: Tunc Richardus? Dii!
Vae, si Theorgi repetis incautus Lares.
Nimum hic jugum atque carcerem profugo apparat.
- Bibulus: Imo vagari sylvula Evaristum scias,
Qui comite multo cinctus explorat nemus,
Quoad Richardum liceat errantem suo
- 425 Richardus: Reddere Theorgo et pristino extradere jugo.
Quidquid? Vagatur sylvula Evaristus? Male,
Ah, male Richardo, captus in casses cadet!
- [205v] Porculus: Serva lamenta, liberam vitam indue,
Comitatus isthic fortior, quam illi est.
- 430 Libertus: Tuam
Requiro, lauto, pupe, symposio fave
Praesentiam!
- Richardus: Revereor hanc magnam nimis
In immerentem gratiam.
- Discipulus 1: Evariste, huc cito!
- Vomillus: Quid tu nefande furcifer tantos cies
Nobis tumultus?
- 435 Discipulus 1: Ah, cito, Evariste ac mei
Huc, huc, sodales, currite!
- Evaristus Hic ergo meus
Haeret Richardus? Hic fuga elapsus latet?
Richarde! Amici sequitor⁴ Evaristi sonum
Monentis atque pessimam linque orbitam.
- 440 Discipulus 2: Repete Penates plurimum afflicti Patris!
Evaristus: Repete Theorgi melle dimanans jugum!

438 linque] lingve R.

⁴ *Sequitur*, 2. sg. imperat. II. pas.

- Libertus: Ita, ita, repete Theorgi amarius mage
Quam fel jugum.
- Vanillus: Non cede, respue has preces!
- Discipulus 3: Aurata spondet dona, si repetis Lares.
- 445 Bibulus: Praestat libertas aurea Docentis jugo,
Istam, Richarde, subitus excipias.
- Discipulus 1: Peto,
Reflecte gressum, pessima graderis via.
- Richardus: Non redeo, fixum mente stat.
- Bibulus: Cedite, piae
Vetulae, piae Hecubae, dolo Syrenulae!
450 Haec aure surda recipit Ulisses novus,
Noster Richardus.
- Libertus: Plaudite, cohortes meae,
Nova jam resurgant gaudia et plausus novi,
Dum hic dulcis hospes jungitur nostris choris.

INDUCTIO IX.

Conscius hujus Theorgus, sorti suae ac Richardi indolet Matrique Gratiarum clientem suum commendat.

Personae: Evaristus, Theorgus, discipuli, Servillus.

- Evaristus: Superi, nefandus opprimet Theorgum dolor.
- 455 Theorgus: Serville, curre! Quid afforis moestae hae notant
Voces?
- Servillus: Evaristus rediit.
- Theorgus: Intrare hunc jube.
- [206r] Quis hunc ciebat afforis lugubrem sonum?
An jam Richardus forte repedavit domum?
- Evaristus: Ah, ah! Richardus pessima graditur via!
Stat obstinata mente moresque eligit
460 Sequi Liberti.
- Theorgus: Qui ille Libertus?
- Discipulus 1: Puer,
Congerero, scurra, cui licet, quidquid libet.
- Theorgus: Feris medullam cordis! Infelix puer!
Hocne est, Theorge, dulce solamen? Ut eum,
465 Quem excolebas affatim svavi jugo,
Jamjam videres daemonis subdi jugo?

447 Cedite] ceditae R.

449 Ulisses] Ulisse R.

Pessima iuventae est indoles, semper cui
 Est grata libertas, at ignorat, nimis
 Incauta pubes, quid sit hoc statu frui.
 Licet volucris ingemat caveae jugum,
 470 Captiva tamen est cautior, quam si sua
 Potiatur aura, cassibus mille obvia.
 O Mater istud Gratiae, nunquam sine,
 Ut fors clientem deseras. Materne eris?
 Erat Richardus filius, Matrem et modo
 475 Tu age.

INDUCTIO X.

Richardus inter Gulonis apposita irritamenta Liberti pessima combibit principia diemque inter haec transigit. Memor subinde pensi Mariani sive corollae precatoriae nondum persolutae, reditum domum clam maturat corollamque precatoriam, lingua esto semisopita, persolvit.

Personae: Libertus, Richardus, congerrones, Gulo.

Libertus: Num parata, mensa quae poscit, Gulo,
 Habes?
 Gulo: Ad omne cordis illicium vide
 Parata, sapient gutturi, et saturo, hi cibi.
 Libertus: Richarde, primos excipito honoris locos.
 Richardus: Indignus istis gratiis Richardus est.
 480 Liberte, primas accipito honoris sedes.
 Libertus: Non fiet istud!
 Richardus: Tibi, Liberte, condecet
 Primus.
 Libertus: Richarde, cordis eximium decus,
 Primus tibi debetur, hunc excipe locum.
 [206v] Richardus: Licet immerens sim, ast obsequi memet amor
 485 Jubet Liberti.
 Libertus: Corculum vivat meum
 Richardus!
 Bibulus: Eja, vivat aeternos dies!
 Libertus: Sic vivere omnes addecet, quosquos amor
 Nobis sodales junxerat. Quidquid libet,
 Liceat.
 Dormillus: Richarde, Theorgus infelix crepet!

487 addecet] addejet R.

- 490 Richardus: Crepet Theorgus! Vetulus inferios petat
Tandem Penates, vita quum^r libera placet.
Bibulus: Placet Liberti genius, hinc vivat dies
Per mille felix!
Omnes: Vivat!
Richardus: Et noster quoque
Amor, Liberte, floreat!
Omnes: Vireat diu!
- 495 Porculus: Non bene, Richarde, bibitur, ubi vitro immanet
Aliquid. Bibenda hic unico rictu est sua
Portio!
Richardus: Sit ita, bibamus! Adsonent cheles,
Quod nos recreat, id vivat!
Omnes: Id vivat diu!
- Porculus: Ego astra paulum mente percurram mea.
500 Libertus: Pariter ego.
Richardus: Nec minus ego faciam. Sed hem!
Necdum amatae debitum pensum tuli
Matri. Maria, debitum cliens feram!
Tu mater esto, filius Richardus est.

INDUCTIO XI.

Orcamus apud Nemesim contra Libertum et Richardum causam agit et e vivis utriusque decretoriam vult evincere sententiam. Quam dum contra Libertum impetrat, adversus Richardum, interventu Magnae Matris Gratiarum, factae apud Nemesim advocatae, ob corollam precatoriam, esto semisopita lingua persolutam, nequaquam evincit!

Personae: Christus seu Nemesis, Beata Virgo Maria, Orcamus cum daemonibus.

- 505 Orcamus: Peracta res est. Convola ad nutus, cohors
Inferia! Sic, sic addecet, ut ambo rei
Pariter Averni concrement ambo ignibus.
Aderunt Libertus atque Richardus brevi,
Quoad perenni incendio urantur diu.
Tu acuta tela, sulphuris flammam, picem,
510 Tu ardens bitumen, Sisiphi saxum, rotas,
Nimis insolenti huic juventae praepara.
[207r] Ego provocabo fulmina adversus reos
Omnipotentis Numinis. Causas agam
Coram severa Nemesi presse meas.

510 ardens] ardes R.

^r Quum, méně obvyklý tvar spojky cum.

- 515 Vos anteite lugubrem ad sententiam
Propere ferendam.
Om. daem.:^s Prosperet votum furor!
- Orcamus: Terjuste Vindex, Pluto, justitiae Tuae
Adsum minister! Poplite incurvo cado,
Adoro, quem alias nolui verum Deum!
- 520 Adoro Justum, qui reluctantem Sibi
Abjecit, aeterno igne torrendum dedit
Et maledicum proscrispsit aeternum Polo.
Huic, Juste Judex, perduto justa Tua
Sententia quoque justa poscenti annue.
- 525 Christus: Si justa poscis, promitto!
Orcamus: Imperio obsequor.
Adoro mansvetum atque longanimum Deum,
Qui ferre novit crimina et pati diu,
Sed nosco pariter Vindicem scelerum Deum.
Exorbitantes qui feris juste reos,
530 Exorbitare cernis impune duos,
Libertem et hujus arte Richardum. Vides!
Vides scelestos et reos, cur non feris?
Quod Tu benigno fers adhuc pectore, Stygis
Haud ferre poterit istud odium! Perduto hos!
- 535 Reflecte, Justum Numen! Orcamus semel
Peccavit atque periit aeternum miser.
Libertus audet crimini adjicere scelus,
Nec non Richardus! Et reos nondum feris?
Supreme Vindex, justus es, cur non feris?
- 540 Christus: Justum requiris, vindicem dextram moves.
Pereant scelesti, Tartari exitium petant!
Uterque facie abjectus a nostra, tetram
Ululare discat noeniam, aeternum miser.
Perduto scelestos, vindica invisos mihi!
- 545 Qui perdi amabant, perdere hos dignum reor.
Ang. cust.:^t Juva Richardum, Mater! Ah, periit miser!
Nisi miserentis Gratiae Matris sinu
Protectus ille concitam accipiat opem,
Justo Tonantis fulmine in Avernum ruet.

525 promitto] promito R.

^s Om. daem. = Omnes daemones.

^t Ang. Cust. = Angelus custos.

- 550 Maria: Fili, furori pone non solito modum.
 [207v] Christus: Quod justa poscit Nemesis, haudquaquam est furor.
 Pereat Libertus, pereat aeternum miser
 Juste Richardus.
 Maria: Nate, Richardum feris?
 Feris etiam Matrem. Ferire, ah, desine!
- 555 Christus: Justum est nefandos plectere.
 Maria: At justum est mage
 Audire matris filium tantas preces.
 Supplex peroro, parcito Richardo! Feri
 Vindex Libertum!
- Orcamus: Uterque sed culpae est reus!
 Maria: Non me ast uterque coluit, ut matrem satius.
- 560 Orcamus: Et Udo coluit Gratiae Matrem, attamen
 Phlegetontis inter ululat infelix specus.
 Maria: Coluit, sed etiam spreuit hortatus meos
 Spreuitque Matrem. Filium ast nunquam tamen
 Sese Richardus denegat. Lingva licet
 Semisopita mittit ad Matrem preces.
- 565 Scis, Nate:
 566a „Qui me elucidant, vitam illi habent aeternam.“ *Eccl. 24^u*
- 566b Id aeternus amor appromiserat.
 Orcamus: Ita est! Perire nescit, ubi Matrem colit
 Cliens. Rebellis ast fuit, Virgo, Tibi
 Richardus.
 Maria: Illud nescio.
 Om. daem.: Fuit, fuit!
- 570 Orcamus: Ille rebellis est Tibi, quisquis Tuo
 Rebellis exstat Filio.
 Christus: Mater, vide!
 Justa petenti denega, si quae potes?
 Non parco! Ferio! Pereat infelix nimis,
 Pereat Richardus!
- Maria: Contine, heu, trucem manum.
- 575 Christus: Nequeo! Ferio! Et adhuc misereor, dum neco!
 Om. daem.: Sic, sic, ferire condecet criminis reum.
 Maria: Sed una solum criminis culpa hunc tenet?

550 Maria] B. V. M. R., *id est* Beata Virgo Maria. *Idem* Inductio XI. *passim*.

566b *in principio om.* – vv.

^u Cf. Sir 24,31: *Qui elucidant me, vitam aeternam habebunt.*

- Orcamus: Unum ob patratum mente crimen me Deus
 Simul et sodales Tartaro involvit meos.
 580 Feri, neca, non parce, cum infelix sibi
 Parcere Richardus noluit.
- Maria: Non, non feri!
 Tantumne Matris valeat oratio Tuae?
 Si non Richardo criminis tanti reo
 Parcis, clienti Tu ammodo parcito meo.
 585 Matris rememores ubera, queis pavit Satum,
 Revoca dolores, respicito tantas cruces,
 Quibus dolenter compati svevi Tibi.
 Per hos dolores parce Richardo, precor.
- [208r] Orcamus: Per Tua, Redemptor, tubera obtestor! Feri!
 Matri repande, Christe, vulnera! Haec ferox
 Nimis Richardus conspuat, quando scelus
 Egit. Feri! Scelestus indignus Tua
 Censetur esse gratia, postquam prius
 Hanc spreuit audax, perfidus, atrox. Feri!
- 595 Maria: Ah, parce, Fili! Talis, ah, nimium manus
 Crudelis esset, filius quando suae
 Matri negaret dexteram. Tene manum!
- Orcamus: Inclamo justitiam!
 Maria: Reclamo, ne feri!
 Ah, misericordiam peto! Parcito!
- Orcamus: Feri!
 600 Maria: Parcito!
 Christus: Furori Filii ponis modum,
 Mater. Richardus ergo, sit, vivat Tuus,
 Pereat Libertus. Eneca hunc subito, Stygis
 Minister, et serva Richardum. Gratiae
 Quem Mater optat vivere, hic vivat satus.

INDUCTIO XII.

Congerrones hilaria sua pessima prolongaturi, Richardi et Liberti respirant praesentiam. Hunc dum subitanea morte sublatum, illum vero domum clam repetiisse in comperto habent, gaudia in luctum commutant.

Personae: congerrones

- 605 Dormillus: Ubi est Libertus?
 Porculus: Et ubi Richardus latet?
 Nostrum retardat gaudium et laetum diem.
 Bibulus: Superi! Sodales! Terror haud fari favet.

- Vomillus: Paulum respira, quis timor membra occupat?
 Bibulus: Libertus isthoc atrio intorto jacet
 610 Collo, cadaver horridam exhalat suis
 Membris mephytim et rancidi bini canes
 Custodum ad instar corpori atrato insident.
 Vomillus: Concutis inaudito sodales nuncio.
 Hirculus: Et ubi Richardus?
 Bibulus: Perditus pariter latet.
 615 Dormillus: Quid si misellus compari periiit modo?
 Vomillus: Non ita, Richardus clanculum petiit domum.
 Florillus: Richardus iterum repedit ad proprios Lares?
 Suspecta res est, maximum indicium est mali.
 Vomillus: Male est, sodales. Tu vale!
 Bibulus: Vale.
 Porculus: Vale!
 620 Heu, quis tumultus? Horridum huc urget gradum
 Aliquid. Fugio! Nec pluribus tempus teram.
 In ultionem provocat Numen reos
 Parem Liberto.

[208v]

INDUCTIO XIII.

Libertus in forma horridica monstri sese spectabilem facit Richardo, somno vinoque sepultum excitat eumque sorti pari infelici obnoxium fuisse edocet, ni ope Magnae Matris Gratiarum et Advocatae apud Nemesim factae liberatus fuisset. Inde major in Richardo erga Matrem Divinissimam pietas.

Personae: Libertus, Richardus, manes.

- Libertus Consurge, tranquillum nimis^v
 Excute soporem! Charus haud pridem tuus
 625 Adsum sodalis, criminis socius tui,
 Licet scelere par, impar ast poena. Aspice!
 Maledictus adsum hospes, qui inhospitas colo
 Plagas Averni! Prolue oculos et vide!
 Maledictus! Heu, maledictus, infelix nimis
 630 Adsum Libertus!
 Richardus: Heu, pereo! Jamjam Stygis
 Monstrum Richardum glutiet?

^v Metricky nejasný verš. V rukopise jsou před slovem *Consurge* naznačeny čtyři, zřejmě dlouhé, slabiky, předcházející *Parem Liberto* však má slabik pět. Verš by byl metricky korektní, pokud by autor místo *Consurge* použil významově stejné sloveso *Surge*.

- Libertus: Nolim time!
 Nocere nescit Orcus, ubi contra Stygem
 Mater tuetur Gratiae! Surge! Aspice!
 Adsum Libertus!
- 635 Richardus: Forma, proh, talem negat!
 At crimen isthunc conscium tibi probat.
 [Libertus]: Sum, sum Libertus, criminis socius tui.
 Richardus: Num fors antra Taenari, infelix, colis?
 Libertus: Justo Tonantis fulmine abjectus, Stygis
 Jamjam sub antris ingemo aeternum miser.
 640 Maledictus aër, scelera qui fovit mea!
 Maledicta terra, qua gradi male caeperam!
 Maledictus uterus, qui genuit Orco satum!
 Maledicta tempora, socii noctes, dies,
 Quibus nefando crimine offendi Polum!
- 645 Aeterna claustra colere? Haec nunquam satis
 Gemenda sors est. Inter aeternas cruces
 Vivere? Ferenda neutiquam res est. At heu,
 Ferri tamen debet! Utinam liceat mori!
- 650 Richardus: Iniqua feritas! Hoccine, heu, brevis nimis
 Meruit voluptas? Semper ut pereas miser?
 Libertus: Ita. Justa poena est crimini, aeternum mori!
 [209r] Et tu, Richarde, Vindicis justa Dei
 Sententia poenas pares jamjam hauseras,
 Nisi Maria, Gratiae Mater, suum
- 655 Alias clientem plurimas fundens preces
 Te ad fulminandam Nemesim, inardentem nimis,
 Flexisset! Isthac scito, nunc tua est salus,
 Quod pensa sibi persolveris, lingua licet
 Semisopita ac ebria. Ah, utinam et ego
- 660 Colere Mariam, ut filius matrem suam,
 Nossem; neusquam Tartari filius forem.
 O aeternitas!
- Richardus: Heu me! Ubi lateo? Pudet, pudet
 Perstare terris perfidum Matri satum,
 Superis rebellem et, o pudor, notum Stygi
 665 Nomen Richardi! Turpis, ah, turpis nimis
 Quo me voluptas, caeca libertas tulit?
 Utinam benigna stiteris, Mater, pedes,
 Incautus hac dum caeperam gradi via,

656 fulminandam] fulminandum *R.*

661 filius] Titius *R.*

670 Utinam nefandos ruperis vitae dies,
 Isto priusquam crimine obstrictus forem!
 Jam tetra macula sceleris indignum probat
 Te Matre natum; Tartaro ast dignum caput
 Patrata nostri criminis culpa edocet.
 675 Et adhuc iniqui conscium sceleris amas?
 Amas! Amastique nimis, inferno reum
 Quando clientem provide redemeras.
 Prodiga in amando, Mater adamata, fueras.
 Mater fuisti, filius quamvis ego
 680 Esse renuissem; natus ego posthac ero,
 Licet, Maria, matris affectum exuas.
 Fluite, dolentes lacrymae, et testes mei
 Estote amoris esteque doloris simul.
 Amo! Quia amasti, Mater! Et doleo, quia
 Temet dolentem feceram. Et tamen amas
 685 Semperque amasti, perditum licet satum.
 Semper Tu amasti, jam satis amoris fuit!
 Nunc perduellem plectito et semper ego amo.
 [209v] Tollere nocentem scelere pro tanto meam
 Vitam reposcis? Mater, ad nutum hanc habes.
 690 Tua vita nostra est, morte quam aeterna Tuus
 Exemerat amor, Tibi volo vivere, mori.
 Resume signis pristinis profugum, Parens
 Benigna, sub queis vivere et mori volo.
 Ite hinc, sodales, turpis amor et crimina,
 695 Non vos, ut hostis Virginis dicier,^w amo.
 Huic solum anhelio vivere et posco mori!

EPILOGUS

Illud D. Bernardi de Magna Matre Gratiarum extollit: Si quid spei, si quid gratiae, si quid salutis in nobis est, ab Ea noverimus redundare. Sermo de Nativitate B. V. Mariae. De aquaeductu.

Recitativus

Richardus: Jam scito, parthenophile!
 Si quid spei, si quid gratiae, si quid salutis in nobis est,
 id totum a Maria noverimus redundare.
 700 Tutti: O parthenophile, revolve prospera
 Amica Matris inter nos foedera.

^w *Dicier*, inf. prés. pas. (med.) slovesa *dicere*, klas. *dici*.

705 In istam spera,
Nunquam despera.
Aspiras Caeli patriam?
Quaere Mariae gratiam!

Ita M. Joannes Kleinhampl
O. A. M. D. G.